

staturam in perfecta ætate cognoscerent; duplo enim altiore futuram inde conjectabant. « Trinusne hic (ait S. Basilius) pusio est? Ex eo pater futuræ proceritatis admetitur mensuram. Novit plane duplam justæ staturæ proceritatem illi deesse. Quantus enim triennis deprehenditur puerulus, bis tanto est evasurus procerior compos factus, plenitudinis augmenti, aut certe denovo tantus, » hom. X. in hexam. Vultis scire ad quem gradum virtutum aut vitiorum perventuri sint filii vestri? Metimini eos in pueritia et juventute; duplo enim meliores vel peiores erunt. Si pueri ludant pro triariis, certent pugnis, mentiantur, bibant cyathum; facti adulti et viri, ludent pro aureis, certant gladiis, pejerabunt et decipient, bibent sextantem aut sextarium. Si pueri furentur nummos et cruciferos, adulti furabuntur imperiales et ducatos. Idem est de bona indole indicium. Sanctus Ambrosius puer manum sorori osculandam præbuit, et sacris rebus se oblectabat: post factus est episcopus. S. Thomas Aquinæ puer chartis et litteris se recreabat, schedam in qua *Ave Maria* scriptum comedit: post tantus doctor evasit. Hinc puerum, qui cornicum oculis confixerat, Areopagitæ morte damnarunt, quod inde colligerent, eum sævum et crudelem fore, Quintilian. l. V. cap. IX.

Rursum si bene educaverint filios et liberos ad virtutem et pietatem, bene ab eis habebuntur et colentur in senectute: male vicissim, si male educaverint. Sic enim et corvi in nido deserti a parentibus, postea adulti senes parentes devorant. Unde dicitur: *Mali corvi malum ovum*. Hæret pietas erga parentes in liberis bene institutis.

VI. Filiis prædico sic eos olim tractandos a suis filiis, sicut ipsi tractarunt parentes suos, seu bene seu male. Ita enim Ecclesiasticus, c. III. *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis suis*. B. Petrus Damiani, in ep. ad Albertum, l. VIII. hunc locum explicans, ait: « Justo plane Dei solet evenire iudicio, ut qui parentibus humiliter subditur, ipse quoque parens effectus, in propriæ sobolis obedientia delectetur. » E contra ergo male a filiis habebitur, qui male habuit parentes. Confirmat id Aristoteles, V. ethic. duplici exemplo: « Quidam patrem capillis apprehendit et extraxit foras, ut per scalam eum deiceret. Pater cum ad januam usque tractus esset: Desine, inquit, fili; nam et ego non ulterius quam hujusce traxi. Alius accusatus quod patrem pulsasset, ita defendit impium factum: *Et ille patrem suum verberavit. Et hic (ostenso filio suo) me verberavit, postquam adoleverit*. Subdit etiam Ecclesiasticus XVI. *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore*. Lon-

giore scilicet, quam qui (cæteris paribus) inhonorat. Vasallus enim peccans in dominum suum meretur, amittere feudum, quod ab eo accepit; filii nonne vitam acceperunt a parentibus?

Filius patrem honorans fovetur imprimis, et omni diligentia custoditur a patre, deinde etiam a Deo: alius autem irreverens deseritur ab utroque; imo irrationales creaturæ rebelles filios persequuntur, ut patet in arbore, quæ Absaloni carnifex facta est.

VII. Mercatoribus, cauponibus, opificibus prædico non ditandos, si festinaverint ditari. Id enim prædixit Sapiens, Prov. XIII. *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur*. Utrum enim præstat, arborem frugibus vestitam securi prosternere; an manu fructus decerpere, ipsa incolumi? Nonne hoc posterius? Illud enim milites faciunt et prædones, qui in diem, nec nisi ex vastitate et cæde vivunt. At hos imitantur, qui, ut cito evadant divites, nimium exigunt ab emptoribus aut hospitibus, non amplius reddituris. Hoc indicarunt veteres fabula de aucupe laqueos tendente cassitæ, quæ videns ipsum, quid moliretur, rogat. Respondit is se urbem ædificare, et postea se abscondit. Illa ad urbem spectandam advolat, et capitur, fitque præda aucupis, cui occurrenti tristis ait: *Si tales urbes fabricaris, non facile multos incolas reperies*. Idem ergo prædico illis, qui emptores et hospites suos nimia exactione premunt: si ita eos exceperint, non multos emptores aut hospites habebunt.

VIII. Agricolis prædico non defuturum eis alimentum, si ipsi invigilent rebus suis: secus, si servis suis omnia committant. Ita enim Sapiens, Prov. XXVII. asserit: *Qui servat ficum, comedit fructus ejus*. Insidiantur ficibus sycophantæ; unde ficus indigent fideli custodia. Qui servis eam committit nihil inde comedit. Ita se res habet in aliis curis domesticis. Scribit quidam religiosus Rebdorfensis, Kilianus Leib, in causis hæreseon, quemdam agricolam conquerentem se quotidie depauperari, hoc consilium accepisse a sapiente, ut pyxidem ab eo datam quotidie deferret in culinam, horreum, penum, cellam vinariam, stabulum, agrum et vineam: fore enim ut deinceps ditior fieret, ita tamen, ut ne ante annum pyxidem aperiret. Paruit ille, et per hoc expertus est servorum suorum neglectus et infidelitates: quas emendando paulatim, crevit opibus, nescius qua causa. Post annum aperit pyxidem, visurus tam efficax remedium, et reperit in ea scriptos versus lingua Germanica, qui significant, nullum fimum agro magis conducere, quam eum,

## CONCIO V.

NOMEN JESU BALSAMUM SALUTIFERUM.

Mira de balsamo. — I. Recreat et consolatur animum. — II. Antidotum contra tentationes. — III. Confortat afflictos et periclitantes. — IV. Comes est peregrinationis nostræ. — V. Alexipharmacum contra serpentes tartareos. — VI. Præservare a mala morte potest.

## THEMA.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. II.

quem agricola ipse in suis calcæis agro suo intuerit.

IX. Pauperibus et operariis prædico, nunquam eos e paupertate emersuros, si ebrietati addicti sint; nunquam ad incitas redigendos, si moderate vixerint. Ita enim Sapiens, Ecclesiastici XIX. dicens: *Operarius ebrosus non locupletabitur*. Vult dicere: Depauperabitur, qui ad divitias minime assurgit. Quomodo enim hoc fieri potest? Dum bibit, tempus operandi perdit, pecuniam partam prodigit, ex potu in somnum et ignaviam incidit. Tria expendit, et unum tantum accipit: quomodo locupletari possit? *Qui mercedes congregavit misit ea in sacculum pertusum*, Agg. I. E contra si moderate vixerint, nunquam deerit unde vivant. Hinc sapiens ille Romanus Seneca dixit: *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad voluptatem, nunquam eris dives*. Et quidem alius conquerenti, quod sibi bona et pecuniæ non suppetere, respondit: Indicabo tibi præsentem amicum, a quo mutuo accipias. Accipe a te, superflua tibi detrahendo, et cito videbis quam verum sit, quod dici solet: *Magnum vectigal parcimonia*, Chavass. de prudentia, l. III. c. II. Vectigal nummatim colligitur, v. g. nummus pro equo uno, et tamen intra annum magna inde summa pecuniæ conquiritur: sic etiam qui sibi sensim aliquid semper detraxerit superflui, sentiet sibi cum tempore multum accrescere rei necessaria.

X. Denique, si reliqui omnes, quibus tempore exclusus dicere nil potui, prædici aliquid sibi velint, dico ad extremum omnibus, quod Ecclesiasticus, c. XXXIV. ait: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus*. Quemadmodum enim virga Moysis devoravit omnes virgas magorum; ita timor Dei devoravit omnes inanes timores, quos prognostici nobis prædivinant. Sic monuit faciendum simplex et rectus frater S. Francisci, Ægidius, qui dicebat: *Licet lapides et saxa de cælo plueret Dominus non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit*. Atque hoc est quod invenio, optimum sane xenium, quodque omnibus opto: *Timor scilicet Domini*. Hunc S. Bernardus pro salute precatur in epistola abbati de Sancto Audomaro. Eum enim qui habet, salutem habet. Quid non promittunt timentibus Deum sacri libri? David, Ps. XXXIII. *Non est inopia timentibus eum*, Tobias, c. IV. *Multa bona habebimus, si timeribus Deum*: Ecclesiasticus, c. XXIII. *Timenti Deum non occurrent mala*: et c. I. *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur*: et rursum ibid. *Timor Domini gloria et gloriatio, et lætitia et corona exultationis, quam vobis imponat Deus*.

Mira quædam de balsamo scribit Plinius, l. XII. c. XXV. Primo: « Uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio: » postea tamen Romanis in Judæa imperantibus in multis collibus satum, et vinearum instar multiplicatum, seritque eam (fruticem) nunc fiscus, ait, nec unquam fuit numerosior aut procerior. » Secundo: « Sævire in eandem Judæi, sicut in vitam quoque suam: contra defendere Romani et dimicatum pro frutice est. » Tertio: « Incidi vitro, lapide, oleisve cultellis, ferro lædi, vitalia odit. » Quarto: « Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximie, sed tenui gutta, ploratu lanis parva colligitur in cornua. » Quinto: « Ex iis novo fictili conditur, etc. » Breviculum quod hodie legimus evangelium, hortulus quidam balsami esse mihi videtur. In eo enim reperio fruticem unam, seu arbuscam balsami puerum scilicet circumcisum, sane mirabilem. Hic uni Judææ datus, in duobus hortis regiis, regno scilicet Juda et Israel, conversatus est; postea tamen a Romanis occupatus et acceptatus, per universum orbem sparsus et plantatus fuit. Sævierunt, in illum Judæi æque ac in vitam suam, sed defendere eum Romani, et pro eo dimicarunt Christiani usque ad sanguinem. In eundem adhuc parvulum sævit Herodes, Judæorum rex, sed defendit eum Ægyptus, in quam confugit. Ad hæc hodierno die incisus est cultro, non ferreo, sed lapideo ut volunt Sanctus Augustinus, Bernardus et quidam alii; et Sepphora Exo. IV. et Josue, Jos. V. usus fuisse scribitur. Ex hac incisione emanavit fragrantissimum illud opobalsamum, nomen, inquam Jesu, non sine lacrymis et ploratu divini illius pueri: de quo Ecclesiastici XXIV. ait Sapientia divina, quæ est ille idem Dei Filius: *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi*. Hoc opobalsamum vobis; auditores, offero pro xenio. Solent ditiores ferre secum communiter balsaminam pyxidem ad occurrentes necessitates et insalubres auras. Hæc vobis sit nomen Jesu, de quo Sanctus Bernardus, sermone XV. in Cant. ait: « Hoc tibi electuarium habes

o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus: saluiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inueniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu quo tui omnes, in Jesum et sensus dirigantur et actus. » Hujus igitur balsami virtutes nunc audiamus.

I. Balsamum odore suo recreat, ita et nomen Jesu; ingerit enim non solum memoriam, sed etiam præsentiam potentissimi et suavissimi auxiliatoris, qui uti in terris vivens omnibus afflictis, se invocantibus, adfuit, et manum auxiliarem porrexit; ita etiamnum id facturus speratur. Hinc solemus morientibus, cum jam aliter opem ferre nequimus, nomen Jesu sæpius in aures ingeminare, ut ejus memoria excitati, animum assumant et in ipsum sperent. Ferunt Aristotelis moribundo pomi odore vitam aliquamdiu prorogatum, in lib. de pomo Aristotelis, apud Cæl. libro XXIV. capite XXI. Si unius odor pomi potuit ægro vires recreare et prorogare vitam; quid non possit nomen Jesu, quod Salvatorem ingerit ad opitulandum promptum et simul potentissimum? Quis enim audiens Salvatorem sibi adesse, non exhilaretur, si ægri ad adventum celebris medici sentiunt se aliquanto melius habere? Quid suavius, quid gloriosius vel ipso nomine Jesu? *Cajus vitalem ubique sparsam fragrantiam* (ait Sanct. Bernardus, serm. XXII. in Cant.) *qui non sentit, aut mortuus est, aut putidus.*

II. A pestifera aere afflatu tuetur ac præservat. Hujusmodi aura quid nisi virulenta tentatio est? Facile ea se insinuat, suaviter demulcet, sed venenum instillat. Contra illam veniat tibi in mentem nomen Jesu, qui non modo tentationem et pugnam tuam spectat, sed etiam ad resistendum animat, atque opem adferre paratus est. Patet hoc ex certamine Sancti Stephani, quem ut pugnantem spectaret simulque adjuvaret, de cælesti throno surrexit; unde Stephanus non aliis armis, quam ipsius nomine invocato, munitus (*Domine Jesu, suscipe spiritum meum*) gloriose vicat et obdormivit in Domino, Actorum VII. Recens exemplum sibi notum affert P. Bened. Fernandus s. n. in caput XXXII. Gen. his verbis: « Per idem fere tempus in hac urbe (Olysiptone) aliud non minus contigit memorabile. Pia quædam et casta mulier ex hoc eodem templo (Sancti Rochi) in quo post sacramentalem confessionem rite divinam eucharistiam sumpserat, domum, Deo æque roborata et saginata, se receptat. Ecce tibi adolescens effrænate libidinis cæstro percitus subingreditur, invaditque feminam. Quid illa? Jesu, clamat, fer opem. Ad hanc mulieris vocem nebulo ille ruit vociferans: Heu me miserum, a

ferro mihi trajecta sunt viscera! Morior, infelix. Igitur obvoluto capite suum ægre divertit in hospitium: accersito e nostris confessario, rem totam aperit; sumptisque christiano ritu sacramentis, bonaque veræ contritionis signa exhibens, mortem obivit. »

III. In deliquio virium roborat et confortat. Idem non semel præstitit afflictis et perrelatantibus sacratissimum nomen Jesu, pie invocatum; ut testatur S. Bernardus, serm. XV. in Cant. « Cui, inquit, in periculis palpitanti et trepidanti invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso in dubiis æstuanti et fluctuanti non subito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jamjam deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? » Nugatus utique tantum fuit Alexander Magnus, quando dixit se ægrotanti Pyrrho solo suo nomine salutem allaturum, teste Plut. Unde enim nomini ejus tanta potestas? At vero Christi sacratissimum nomen solum, pie invocatum, salutem tulisse, in plurimis compertum est. Sanctus Friardus reclusus, ut scribit S. Gregorius-Turon. lib. de vitapatrum, c. X. ex præcelsa arbore, quam victus sui gratia conscenderat, fracto ramo decidens, sacro Christi nomine invocato, illæsus ruit, semper id in ore habens: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Quin et ipsi Judæi virtutem hujus nominis experti sunt, quando, ut scribit Galatinus, l. VIII. cap. V. unus ex ipsis, qui mortiferum quid deglutiverat, ab aliis suæ gentis per Jesu nomen liberatus fuit. Sed recentius factum in homine Mauro, audiamus ex P. Bened. Fernandio, loco supra cit. « Fugiebat nuper, inquit, e media barbarie Maurus ad Lusitanam arcem, Deo movente ut Christianus fieret. Ardebat cælum solumque in vastis illis et arenosis solitudinibus aquæ summa penuria. Ergo catechumenus æstuaræ cepit, siti- que pene enectus procumbit in arenam, nihil propiusquam mortem ipsam operiens. At (quæ Dei clementia præsto est iis, qui divinæ gratiæ non desunt) venit in mentem homini, audivisse non semel a captivis christianis in Jesu nomine implorato magnum ad omnia quantumvis ardua constitutum esse præsidium. Quare vocibus pene interruptis moribundus pronuntiat Jesum, Jesum o benedictum, o salutare, o vitæ virtutisque plenum Jesu nomen. Subito fauces aqueo liquore humectari sentit ac recreari, deinde redintegratis viribus alacriter progreditur. Verum paulo post eadem sitis, eadem lassitudo, idem vitæ periculum; sed jam in promptu remedium: profert iterum dulcissimum nomen Jesu, iterum et gutturi aqua, et corpori redeunt vires: denique, in longo

illo et periculoso itinere ad sitim levandam et corpus roborandum inclamans Jesum, incolumis promptusque ad arcem pervenit; inde missus Olysiptone in hac domo Sancti Rochi, sacro est initiatus baptisate. » Hujusmodi etiam est, quod ex Indicis societ. nostræ litteris refert P. Georgius Stengelius, in libello de nomine Jesu, de puero ethnico, qui in vastam quamdam piscinam prolapsus, nandi imperitus, et mersioni jam proximus, cum a Lusitano, littori inambulante, moneretur, ut nomen Jesu invocaret, paruit, et ex aqua emisit ac baptismum suscepit, a quo tempore, nisi audito nomine Jesu, nemini respondere voluit.

IV. Balsamum adhibetur in sacramento confirmationis ad roborandos Christianos in hujus vitæ laboriosa peregrinatione, et pugna contra hostes suos. Pari modo nomen Jesu cordi impressum et devote invocatum comes est peregrinationum nostrarum quarumcumque, totius etiam vitæ, longe utilissimum; quod testatur imprimis propheta, Ps. LVII. dicens: *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*, seu, ut in Hebr. et vertit S. Hieronymus: *Portabit nos Deus salutis nostræ*: seu quod idem est: *Salus nostra et Jesus noster*, Hebr. *Jeschuhat emu*. Quis neget Mariam et Josephum in laboriosis suis itineribus portatos fuisse a Jesu? Quæri posset, cur angelus, qui monuit ut in Ægyptum fugerent, socium se itineris tam difficilis non præbuerit. Sed respondet ad hoc S. Chrysostomus, hom. VIII. in Matt. « Nequaquam se socium itineris pollicitus est, designans maximo ipsius, propter quem fugiebant, parvuli esse munitos comitatu. » Jesus ergo qui portabatur a parentibus, ipse parentes potius et regebat et portabat. Veteres ingressuri viam, Herculi sacrificabant, apud Festum Pompeium, l. XIV. Alex. ab Alex. l. III. c. XXII. ut ab eo nimirum dirigerentur in via, qui multa itinera confecerat; et ut ipsius robore confortarentur, ne deficerent aut corruerent. Noster Alcides Jesus est, qui de cælo in terram, de terra ad inferos, hinc sursum ad cælum iter peregit, omnia impedimenta perrumpens; hic nos in viis nostris regere, portare et propugnare potest. Hunc comitem invocabat iter facturus Thomas de Kempis, vir pietate insignis, dicendo: *Jesus et Maria sint mecum semper in via.*

Neque minus roborat adjuvatque contra insidias hostium, nobis occurrentium. Non vacat mysterio, quod Moyses Josuen, quando eum exercitus sui ducem constituit contra Amalecitas (quod patet ex c. XVII. Exodi, ubi primum legitur nomen Josue) appellavit, mutato nomine Josuen, cum prius vocaretur Hosee. Nimirum indi-

care voluit, meliorem magisque necessarium in pugna ducem non esse nisi *Jesum*; siquidem Josue idem est quod *Jesus*. Unde Origenes, homil. XI. in Exod. ait: « Moyses confitetur se non posse exercitum ducere, se non posse terram cum populo obtinere, quamvis eum de terra Ægypti eduxerit, et ideo vocavit Jesum, etc. » Et Lactantius, l. IV. cap. XVII. ait: « Christi figuram gerebat ille Jesus, qui cum Auses vocaretur, Moses futura præsentens, jussit eum Jesum vocari; ut, quoniam dux militiæ electus esset adversus Amalec, qui oppugnabat filios Israel, adversarium debellaret per nominis figuram, et populum in terram promissionis induceret. » Jam si figura nominis Jesus in Josue prælata tam gloriosam de Amalecitis obtinuit victoriam, quid non obtinebit, qui verissimum Jesum, pie invocatum secum in prælio habuerit? Præclarum hujus rei exemplum habemus in Achatio adhuc gentili, Romani exercitus primicerio, qui prius ab hostibus bis in fugam actus, tandem ab angelo edoctus, ut relicta idolorum imploratione, Christum Jesum in prælio invocaret, paruit, et una cum exercitu suo, sublato in cælum clamore, salutare nomen Jesu invocavit: sicque impetu in hostem facto cum 16000. suis, hostem, qui centum millia ducebat, in effusam fugam compulit. Unde mox ad fidem conversus, cum suis decem millibus martyrii coronam accepit, ut in ejus actis 22. junii, apud Sur. Quid non poterit hoc nomen in parvis et quotidianis conflictibus, si hoc in tam magno et periculoso potuit?

V. Oleum balsaminum longe pretiosissimum est contra omnes serpentes efficax, ait Plinius, l. XXIII. c. IV. Confirmatur ex Pausania in Boeoticis, l. IX. ubi scribit; in Arabia plurimas vipersas sub balsami arboribus latitare, sed balsami pastu venenum amittere, et ob id ipsarum morsus esse innoxios. Habet etiam hoc sanctissimum nomen Jesu, ut tartareos serpentes edomet ac fuget, aut saltem omnem nocendi vim adimat. Præter experientiam fere quotidianam, testatur id S. Chrysostomus, homil. VIII. in ep. ad Rom. « Si in illum (serpentem diabolicum) divinas incantationes canere noveris, inquit, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri Jesu Christi, tum ipsius crucis potentia. Hujusmodi incantatio non solum draconem abigit, atque in ignem conjicit, sed etiam vulneribus quoque medetur. » Estque adeo efficax hoc balsamum, ut etiam ex ore prolatum dæmones expellere queat, ut patet ex illis verbis Christi, Matth. VII. *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus?* Idem asserit Sanctus Justinus, martyr antiquissimus, in disputat. cum Trypho-

ne: « Per nomen ipsius Filii Dei et primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adjuratum vincitur et in ditionem redigitur: » et S. Gregor. Nazianzenus, ad Nemesium: « Ipse, inquit, qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronuntiavi, cum statim dæmon non sine stridore longissime se proripuit, Dei immortalis vim atque potentiam clamans. » Sanctus etiam Abramius, in eum sic aliquando invectus, scribitur a S. Ephrem in ejus vita: « In nullo te tuasque insidias pertimesco, neque plurima tua phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo atque tutissimo est mihi nomen Domini mei et Salvatoris Christi, quem dilexi et diligo; in quo te nomine increpo, immundissime canis ac miserabilissime. » Causa tantæ hujus nominis efficaciam est, quia Christi divinitatis doctrina, evangelio ac victoria de dæmone comprobanda erat. Ad hunc finem nomen id divinitus ei impositum, et in cruce sanctificatum, atque ab ipso usurpari præceptum est.

VI. Balsamum emortua corpora a putredine conservat diutissime, ut apertum est. Non dubito etiam, quin Jesu nomen, si cor eo perungatur, idque per amorem et devotionem imbibat, præservaturum illud sit a morte mala et æterna. Non desunt, qui cum Adone in martyrologio sentiunt S. Ignatium martyrem a leonibus quidem, uti petebat, dilaniatum et assumptum esse, cor tamen ejus ab iisdem intactum mansisse volunt; quod in ipso nomen Jesu, uti sanctus prædixerat, inscriptum esset repertum. Scimus etiam ex vita Sancti Edmundi Cantuarien. episcopi, dixisse ei Christum, profuturum ei hoc nomen Jesu contra improvisam mortem, qui id singulis noctibus fronti suæ impresserit.

Verum ut has virtutes exerat in nobis istud nomen, advertendum est, quod dixit Plinius, opobalsamum novo fictili excipiendum et condendum esse. Sic enim et nomen Jesu corde novo excipiendum et servandum est, si virtutes ejus in nobis experiri volumus. De quo corde dicitur Psal. L. *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis:* et Ezech. XVIII. *Facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini domus, Israel?* Quasi diceret; Si hoc feceritis, nihil est causæ cur moriamini. Cor autem novum erit, si nullum malignum odorem terreni alicujus affectus ex prioribus peccatis retineat. Pretiosum ergo hoc balsamum in corde novo, mundo et impolluto recipiendum est, sicut corpus Christi in sepulcro novo conditum, sindone nova recenter coempta, involutum fuit. Et hinc utique voluit Christus in exordio

novi anni pretiosum sanguinis sui liquorem in circumcisione fundere, et balsamum nominis sui mundo propinare. Viderint vero, qui hoc tam pretioso liquore temere abutuntur, et quandoque ad ipsius Christi summam injuriam. Ferunt guttam balsami in manu exceptam et solis radiis oppositam adeo effervere, ut manum adurat, Bercor. in reduct. mor. lib. XII. cap. XXVII. Certe etiam nomen Jesu contra ipsum Christum elevatum ac usurpatum, uret illos, qui hoc salutari pharmaco abutuntur ad sui perditionem. Quod a nobis avertat Jesus.

## CONCIO VI.

PODERIS AARONIS, QUÆ EST SANCTA FIDELIUM ECCLESIA, CHRISTO IN XENIUM PETITUR.

Vestem petit Christus natus. — I. Contextam ex plurimis filis, charitate unitis. — II. Ex filis rectis et transversis. — III. Ex filis hyacinthini coloris seu cælestis. — IV. Sit vestis talaris. — V. Ornata sit in lumbo malogranatis 366. h. e. bonis operibus. — VI. Instructa totidem tintinnabulis.

## THEMA.

*Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. Exod. XXVIII.*

Olim imperatores in calendis januarii ad ostia suarum ædium expectabant a pop. Rom. munera seu strenas, ut de C. Caligula scribit Suet. « Edixit strenas ineunte anno, inquit, se recepturum, stetitque in vestibulo ædium calend. januarii ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. » Expectat hodie etiam Dominus et imperator noster cælestis Christus Jesus, ad januam ineuntis anni, quæ est januaris, munus aliquod a nobis. Quid ergo offeremus ei?

In vita S. Catharinæ Sennen. scribit P. Raymundus ejus confessarius, apud Sur. 29. april. ipsi e templo aliquando egrediendi brumali tempore apparuisse juvenem pauperem maleque vestitum, ac petiisse ab ea vestem. Mox illa ad sacellum rediens, exteriori se tunica exiit, eamque pauperi dedit. Qui ubi alia et alias vestes petiisset obtinissetque, tandem, gratis actis, disparuit. Erat enim Christus, qui sequenti nocte eam tunicam gemmis adornatam Catharinæ ostendit, et vicissim ei promisit aliam tunicam, in qua omne frigus utriusque hominis deinceps facile ferret. Ab eo tempore eadem semper veste usa, nullam cæli injuriam sensit. Forasan, auditores, expectatis a me hodie strenam

seu xenium; at ego nunc a vobis potius expecto. Quamquam non pro me, sed pro paupere juvene, imo pro infante pessime vestito, hoc brumali tempore. Is est ille idem, qui S. Catharinæ apparuit, nimirum puer Jesus, frigus in stabulo, pannis modicis vestitus. Huic ego peto xenium, ut eum vestiatis; et promitto vobis, quod ipse non solum vestem illam toti mundo demonstrabit, sed vestiet vicissim vos ita, ut hoc anno nihil frigoris nihilque incommodi, in interiori saltem, si non exteriori etiam homine, sensuri sitis. Quid jam vos ad hoc? Num conditionem respueitis? Non arbitror. Sed scire vultis, qualis esse debeat ea vestis; quod nunc exponam.

Quando Deus Aaronem summi sacerdotii honore inaugurari voluit, præcepit Moysi, ut ei vestem sacerdotalem fieri curaret, et inter alias præcipuam illam tunicam hyacinthinam talarem, Græce *poderem*, in qua, ut dicitur Sapient. XVIII. *Totus erat orbis terrarum.* Varie hoc exponunt Hebræi et Christiani doctores. Nos Aaronem scimus typum Christi fuisse. Porro, teste Augustino, in Psal. XLIV. *Vestimenta Christi sunt sancti ejus, electi ejus, tota Ecclesia ejus, quam sibi, sicut vestem, exhibet sine macula et ruga.* Jam vero:

I. Tunica illa, seu poderis, contexta fuit primo ex filis arcissime inter se connexis. Fila hæc sunt membra reipublicæ christianæ, quæ si charitate inter se connexa sint, pulcherrimam facient telam. Fila telæ dissoluta fragilia sunt, texta autem fortia valde: sic membra reipublicæ: *Frater, qui adjuvat a fratre, quasi civitas fortis*, inquit Sapiens, Prov. XVIII. Notum illud Leonis Byzantii, qui missus Athenas, ut pacem et concordiam civibus persuaderet, cum in suggestum conscendisset, derisus est a populo ob staturæ parvitatem. Tum ille sic orditur: « Quid, o viri Athenienses, si conspiceretis uxorem meam, quæ tam pusilla est, ut vix pertingat ad genua mea? At nos tam pusillos, qui concordem quidem in angusta domo jucunde cohabitamus, si quando dissidemus, vix civitas Byzantium capere potest. Idem vobis continget, Athenienses, si fueritis discordes. » Sic persuasit pacem, Plutar. in præcept. pol. Idem ego vobis denuntio, auditores. Si pacem habueritis, parva civitas vos capiet: sin minus, ne magna quidem. Nos Christianos dixi esse Christi tunicam. Eam ipsi mater texuit inconsutilem. Unde vox illa militum: *Non scindamus eam.* Non scindamus etiam nos unitatem Ecclesiæ nostræ charitate contextam. Scimus in veste lacera et discissa Christum Sancto Petro Alexandrino episcopo apparuisse, et questum de Ario, quod ejus vestem (Ecclesiam) laceraret schismate. Non committamus, ut de

nobis etiam queri possit Christus, quod eandem laceremus per civiles discordias.

II. Ex filis partim transversis. Hæc in primis sunt pia quædam dissidia inter membra reipublicæ, salva tamen pace et charitate. Quia enim communiter ducimur affectibus, et sæpe seducimur, expedit ut per aliorum contrarios affectus, nostri corrigantur et regulentur. Qui in navicula vehuntur, si omnes in idem latus naviculæ incumbant, facile eam evertent; at si pars in hoc, pars in latus alterum propendat æquabili pondere navim in æquilibrio continebunt, et secure navigabunt. Sic in communitate, si omnes eodem affectu ducantur, non secundum rationem, evertent rempublicam; secus si diversis. Hinc Ezechiel c. I. vidit currum trahi a diversis animalibus, homine, leone, bove, aquila, ita combinatis, ut prorsus contraria simul jungerentur: a dextris homo et leo: a sinistris bos et aquila. Quid leoni cum homine? Quid aquilæ cum bove? Nihil homine humanius, nihil leone ferocius, nihil bove tardius, nihil aquila celerius. Nimirum alter alterius appetitum, passionem et affectum refrangere debebat, ut currum non evertent. Si aquila volare vellet, bos eum retineret; si leo ferocire, homo eum compesceret: et vicissim si bos tardius incederet, aquila propelleret sua celeritate; si homo rideret, leo rugiret. Hunc in modum, si senatus aut consiliariorum una pars ad nimiam severitatem propendat, eam altera per clementiam corrigat: si mater liberis nimium indulgeat, pater severitate ejus indulgentiam moderetur: si herus erga domesticos sit nimis parcus, hera liberalitate parcitatem compenset: si quis nimis sunt pusillanimes, alii alacritate sua eos animent, et e contra. Deinde, secundum S. Chrysostomum, homil. XVIII. in Matth. diversæ florum tendentiæ sunt diversæ fortunæ seu eventus. Recta prosperos, transversa notat adversos. Et his vitam justorum mirabili varietate contextit Deus. Unde bene Ezechias rex vitam suam telæ comparavit, Isa. XXXVIII. *Præcisa est velut a texente vita mea.* Si omnia fila recta aut omnia transversa sint, nulla fiet textura. Pari modo si omnia prospera nobis eveniant, insolescere incipiemus: si omnia adversa, desperare. Ergo rogemus Deum, ut hoc anno ei deinceps nunc prosperis nos erigat, nunc reprimat adversis; uti fecit sanctis Christi parentibus; ut ibi ostendit Chrysostomus.

III. Erant fila hyacinthini, seu violacei coloris cælum serenum referentis. Tales et nos simus, cælestem in terra colorem geramus. Ecce enim toties præsentis temporis Ecclesia appellatur a Christo *regnum cælorum*, nisi quia fideles mili-